

*O flos scriptorum salve bene uate (sic) magister.
Nunquam tetrarum te terreat ordo sinister.*

Ad oram inferam Codex quondam fuisse dicitur *Plebani in Aucespach*.

CLVIII.

- U. 17 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 303. f. per duas columnas probe scriptus, rubricis distinctus, atque a memorato *Thoma de Wuldersdarff* Collegio Ducali *Viennae* 1478. testamento legatus, est Pars I. *Postillarum Nicolai de Lira O. M. in Novum Testamentum*, seu IV. *Evangelia*. Titulus miniatus: *Commendacio legis ewangelice*. Initium: *Quatuor facies uni. Ezech. primo. Sciendum quod scribit beatus Gregorius &c.* Ad oram infimam calcis: *Explicit Nic. de lira super ewangelia 20. die maij anno 1454.*

CLIX.

- U. 418 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 264. f. maj. per duas columnas saepe ob scripturae differentiam subdivisas exaratus; Textus enim character grandis est, Glossae minor, rubricis ornatus, et Ducali Collegio relicto legato *Thomae Haselbachii* nostri est Pars prior *Expositionis, Catenae, Continui*, seu *Glossae a Thoma Aquinate* in IV. *Evangelia* e PP. Dictis congestae complexa *Matthaeum* et *Marcum*. *Matthaeus* dicatur *Sanctissimo ac reverentissimo patri, domino urbano diu-*

na providentia papae quarto, et incipit: *Fons sapientie unigenitum dei uerbum &c.* *Marcus* vero fol. 199. *Reuerendo in christo patri domino anibaldo basilice XII. apostolorum uenerabili presbitero cardinali*, hoc initio: *Rerum opifex deus solo sue bonitatis intuitu &c.* Utraque *Catena* integra, prout extat Edit. *Rom. Opp. Thomae* 1570. T. XV. et *Parif.* 1660. T. XVI.

CLX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 419 XIV. Folior. 276. f. maj. ejusdem rationis cum praecedente, cujus est Pars posterior, *Lucam* et *Johannem* exhibet, et prior quidem plenius incipit, quam Bibliothecarii Ord. Praed. T. I. p. 326. indicaverunt: *Inter cetera incarnationis christi misteria, que ysaias propheta diligenter et apte prenu- ciat, dicit: Induam celos tenebris &c.* Alter vero fol. 153. *Diuine uisionis sublimitate illustratus ysaias propheta dixit: Vidi dominum sedentem super solum &c.* Igitur nec hic rite retulerunt dicti Bibliothecarii, quos ceterum de Operis hujus ob praestantiam *Catena aurea* dicti, et jam inde ab anno 1470. saepius prelo subditi historia consules.

CLXI.